

David Heinrich Köpken

Dav. Henr. Koepkenii, Phil. & Theol. Doct. & Prof. Duc. Publ. ... nunc Decani, & Universitatis h. t. Rectoris, Programma, qvo ad Exeqviarum Solennia, & Conservandam Memoriam Matronae ... Catharinae Sibrandiae, Relictae Viduae Viri ... Domini, Georgii Radovii, Jcti Gravissimi, primumqve Præ-Nobilissimorum Statuum in his Terris Syndici dexterrimi, tum qvoqve Institut. mox Codicis in hac Alma Professoris Celeberrimi, dein Illustris Lubecensium Reipublicæ Syndici ... Cum Exanime Illius Corpus publice efferendum esset, Omnes Omnium Ordinum Proceres ac Cives ... convocat ac invitat

Rostochii: typis Joh. Wepplingi[i], [1720?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1807523411>

Druck Freier  Zugang







66 Stücke

Wk1b Gen

2/2 -4°


Inhaltsverzeichnis der Leichenprogramme
in alphabetischer Ordnung der gefeierten
Person mit Sterbejahr.

1. Arnd, Karl. 1721.
2. Bademüller, Johannes. 1723.
3. Baltzer, Jakob. 1706.
4. Becker, Heinrich. 1720.
5. Bergk, Catharina v., geb. v. Hecken. 1712.
6. Steinkopf, Margaretha, geb. Christian. 1719.
7. 8. Crohn [Krohn], Johann Adolph. 1750.
9. Darjes, Joachim. 1740.
10. Duve, Joh. Abraham. 1728.
11. Fabricius, Jakob. 1653.
12. Festing, Johannes. 1685.
13. Willebrand, Catharina Christine, geb. Fischer. 1742.
14. Eggerdes, Catharine Marg., geb. Gerdes. 1714.
15. Graumann, Christian Daniel. 1764.
16. Tielcke, Cath. Dorothea, geb. Giesen. 1719.
17. Glück, Friedrich Gottfried. 1707.
- 18-22. Grünenberg, Johann Peter. 1700.
23. Haberkorn, Joh. Balthasar. 1707.
24. 25. Hahn, Julius Ernst. 1751.
26. Henning, Anna Christina, verh. Redeker. 1718.
27. Hildebrand, Christian. 1712.
28. Knesebeck, Heinrich. 1719.
29. Lembke, Agneta, geb. Hinze. 1749.
30. Lesch, Daniel. 1707.
31. Lindemann, Eva, verh. Dugge. 1719.
32. Lindenbergh, Kaspar. 1713.
33. Lüders, Marcus. 1738.
34. Mohr, Heinrich. 1729.
35. Schmidt, Helene Catharina, geb. Petersen. 1756.
36. Radow, Georg. 1699.
37. Müller, Christian. 1740.
38. Niehenck, Georg Vitus Heinrich. 1795.
39. Palthen, Samuel von. 1750.
40. Rhades, Georg Michael. 1758.

41. Rhon, Christoph Gottlieb. 1724.
42. Schelhamer, Henrica Maria, verh. Burchard. 1720.
43. Sandow, David. 1752.
44. *Brasse* (Saß), (Charlotte Wilhelmine, geb. Thymne). 1787.
45. Schlaff, Agneta, geb. Lembke. 1748.
46. Vorast, Margareta Sophia, geb. Schleeff. 1758.
47. Schmidt, Jonas. 1745.
48.49. Starck, Samuel Christfried. 1769.
50. Gens Schuckmannia. 1706.
51-55. Schwartzkopff, Kaspar. 1691.
56. Senst, Johannes. 1723.
57. Sibeth, Nikolaus. 1721.
58. - , Catharina Elisabeth, geb. Siebrandt. 1719.
59. Sibrand, Catharina, verh. Radow. 1720.
60. Stever, Christian Michael. 1722.
61. Tielke, Joh. Joachim. 1724.
62. Vandewil, Alexandre de. 1684.
63. Stockmann, Anna Margäreta, geb. Varenius. 1715.
64. Walther, Matthias Gustav. 1768.
65. Weidener, Johann Joachim. 1732.
66. Wolfrant, Dietrich. 1698.

Ko





(40) 59
DAV. HENR. KOEPKENII,

PHIL. & THEOL. DOCT. & PROF. DUC. PUBL.

atque ORDIN. FACULTATIS SUAE

nunc DECANI, &

Universitatis h. t. RECTORIS,

PROGRAMMA,

qvo ad

EXEQVIARUM SOLENNIA, & CON-

SERVANDAM MEMORIAM

MATRONAE,

PRAE-NOBILISSIMAE, OMNIq; VIRTUTUM

APPARATU SPLENDIDISSIMAE,

CATHARINAE

SIBRANDIAE,

RELICTAE VIDUAE

Viri Maxime Reverendi, Consultissimi, Excellen-
tissimi & Amplissimi,

DOMINI,

GEORGII RADOVII,

Jcti Gravissimi, primumqve Prae-Nobilissimo-

rum Statuum in his Terris Syndici dexterrimi, tum qvoqve Institut. mox

Codicis in hac Alma Professoris Celeberrimi, dein Illustris Lubecensium

Reipublicae Syndici, ac Consistorii Ejus Praesidis, simulqve Maxime Re-

verendi Capituli, in Cathedrali ibidem Ecclesia, Praepositi,

longe Meritissimi,

Cum

EXANIME ILLIUS CORPUS


publice efferendum esset,

Omnes Omnium Ordinum Proceres ac Cives,

ea, qva decet, observantia ac humanitate

convocat ac invitat.

ROSTOCHII, typis Joh. Wepplingi, SERENIS. PRINC. & ACAD. Typog.



Itane CIVES ACAD. HONORA-

TISS. varia illa, quibus subinde occupor, negotia, lugubri occupatione iterum iterumque distingvenda sunt? Itane mihi præ cæteris, molesta hæcce munia destinata fuere, ut nova semper, præstantissimarum mulierum funera indicere, & universos ad ea veste, lacrymis, luctu, lamentis

planctibusque cohonestanda evocare atque invitare debeam. Hæret adhuc in recenti memoria, quod sine dubio plurimorum oculis cognitum quoque fuit, par illud sceminarum à corporis & animi dotibus, quibus instructæ fuerunt, longe commendatissimum; alteram **MULLERIAM** nostis, alteram **SCHELHAMMERIAM**, Celeberrimorum in hac Alma Professorum Conjuges impensissime amatas; easdem vero proximis mensibus, in pulcherrimo ætatis flore, præmatura morte è viventium numero sublatas esse novistis, & magnum viduis Conjugibus, Liberis, Cognatis, Amicis & bonis omnibus sui desiderium reliquisse. Utriusque ergo exsequias tristi quodam scripturæ genere comitari opus fuit. Quamvis vero in illius muneris perfunctione, ita versatus sim, ut simul ardentissime optarem, ne qua iterum foret occasio, quæ mihi tristes ejusmodi operas insumendi necessitatem denuo imponeret: plane aliter tamen evenit, cum sapientissimæ Numinis supremi providentiæ præsentis etiam Julii novissimum **XVII** tum diem repetita morte notabilem reddere, atque ea quidem Matronæ optimarum quarumvis virtutum splendore gratiosissimæ vitam abruptere placuisset. Enimvero manifestum omnibus erat atque exploratum, vitæ humanæ eam esse conditionem, ut, concessa illius per aliquod temporis spatium usura, rursus intermittat & consumetur: hominesque, quotquot illa in hoc orbe unquam fruuntur, severa hac lege adstrictos esse atque obligatos, ut stato tempore è vita discedant, eamque cum morte commutent. Recte enim juxta **OWENUM**:

Humanum, in Terris nihil est, quod non sit humanum,

Avolat hinc animus: cætera sorbet humus.

Ita

Ita quoque omnes in eam cogitationem facili negotio deducebantur, ut & mortis, qua hominum vita intercipitur, & termini, ad quem ea decurrit, varietatem recognoscerent. Etenim

*Non cunctis eadem lethi via, terminus unus,
Sed varius vitæ est, exitiique modus.*

Ita quidem, ut nemo omnium omnia mortis genera, quibus homines extinguntur, facile describere potuerit; cum insolitæ atque incognitæ hætenus causæ tumulum parare possint, & nova semper mortis ratio mortalibus vitam queat adimere, de maxima vero, termini vitæ humanæ differentia, omnibus satis superque persuasum sit. Jam tum gentiles sese ad ea observanda converterunt; è quibus vir ille ingenio & doctrina præcellentissimus, *SENECA*; variis scriptorum locis de utroque egregie differuit, inter alia in *Epist. LXVI.* his usus verbis: *aliquorum melior dicit, aliquorum peior potest exitus: mors quidem omnium par est, per qua venit, diversa sunt.* Itemque, *omnes aequè fuere mortales, etiamsi mors aliorum longius vitam passa est procedere, aliorum in medio flore præcidit, aliorum interruptit principia.* &c. Augustiorem tamen his in meditationibus versandi occasionem ipsum *DEI* verbum ubique suppeditavit. Ut alia non adducam, quando pientissimus Judæorum Rex *HISKIAS* in precibus suis, periculossimo, quo laboraverat, morbo remittente, ad *DEUM* fufis *Jes. Cap. XXXIIX. v. 12.* vitam suam, adeoque omnium hominum, tentorio pastoritio, & textentium telæ assimilavit, non minus sane in variam, qua eadem intercipitur, rationem, quam mutabilitatem ætatis, ad quam provehitur, considerationem suam intendit. Si quidem mobile illud pastorale tectum, tum à violenta manu, tum igni & aqua, cœlique asperitate destrui, itidemque dum recens aut solidum adhuc est, perdi, & vetustate etiam consumi potest. Ita etiam neminem fugit, textentium opera, prouti artificibus è re fore visum fuerit, modo hac, modo alia ratione rescindi, & vel tardius, vel citius abrumpi. Certe *HISKIAS* miseram hanc fugientis vitæ humanæ sortem suo exemplo didicerat, qui sibi antea forte nunquam persuasisset, quod tam infesto morbo, qui, nisi eo liberatus esset, sine dubio vitam ipsius oppressisset, fuisset tentandus; & cum virenti adhuc esset ætate, nisi *DEO* aliter placuisset, vita jam fuisset exuendus. Sed idem, etiamnum quotidiana omnes edocet experientia: & nobis quidem Nobilissimæ illæ, quibus proximo tempore justa funebria perfolvimus, quarumque supra mentionem jam fecimus, *Feminæ* præ cæteris exemplum præbuere apertissimum, quippe quæ nec uno mortis genere, nec æquali ætate una cum foetu suo occubuerunt. Quemadmodum vero sic de vitæ humanæ everfione, tum per insuperabilem egrediendæ ex utero materno difficultatem, tum per imbecilles pariendi conatus, præterea quoque de illius vix exorsæ, & ad mediam fere ætatem productæ interitu constet, ita novò hodie exemplo edocemur, quò aliquando ingravescens senectutis infirmitas mortales conficiat, & longius paulo producta vitæ tela concidatur. Placuit enim sapientissimo hominum fortunæ arbitro, ut ad Illarum nuper conditos cineres, ossa provectoris ætatis *Matronæ* accumularentur. Cumque honoratissi-

num Ejus funus solenniter hodie efferendum sit, nostræ omnino pietatis erit & officii, ut isti æq; ac prioribus supremum humanitatis officium persolvamus. Equidem ex *THUCYDIDIS*, quem gravissimum alias fuisse scriptorem, eruditis minime obscurum est, sententia, ista opera antea non minus supersedendum fuisset, ac præsentis occasione eadem prætermitti posset. Namq; is severius in sequiorem sexum statuit, nullam prorsus feminam publice celebrari debere arbitratus, quamvis & ipsa Virtus esset, ac de republica præclare fuisset merita, hominesque, DEumque pietate & officiis sibi conciliare studuisset: quicquid vero in hujus sexus ornamentum adducendum videatur, intra privatos modo parietes commemorari, iisque circumscribi ac concludi oportere. At vero, cum virtus juxta *CICERONIS* pro *Sexto* testimonium per se semper splendeat, nec alienis unquam sordibus (adde, criminationibus) obsoleat, eademque, *SENECA* judice, *Lib. III. de Benefic. sua natura* jam sit gloriosa, ac sub quocumque habitu sive virili, sive muliebri commendabilis, ridicula sane illa nobis erit fœminarum despicientia. Quemadmodum ergo egregiæ atque excellentes corporis atque animi dotes, quibus ambæ jam jam humatæ inclaruerunt, silentio neutiquam fuerunt involvendæ: ita nec incomparabiles Præstantissimæ Matronæ hujus, quæ novissime occubuit, & in cujus funus hodie sumus prodituri, Virtutes angustis privatarum ædium mœnibus terminandæ sunt & occludendæ, sed in publicum proferendæ, & posteritatis quoque memoriæ commendandæ. Quicquid enim virtutis nomen meretur, id omne amabili quodam vinculo consociatum ita firmiter sedem fixerat in defuncta nunc **CATHARINA RADOVIA**, ita nomen defunctæ erat, ut in exemplū virtutis genita videretur, ut speculum esset lucidissimū, in quod insipientes omnia muliebrium virtutum ornamenta deprehenderent. Copiose ergo de ejus vita commentandum foret, nisi alia, quæ nunquam non intercedunt, avocamenta, concisiori scriptione potissima tantum commemorare cogerent; quamvis fatendum mihi sit, & si prolixius omnia persequi voluero, multa tamen ad laudem ejus superfutura. Mundi hujus lucem in celeberrima hac Civitate primum aspexit Anno supra millesimum sexcentessimum sexagesimo quarto, Novembris die vigesimo quarto, Patre orta, Viro Præ-Nobilissimo, Consultissimo atque Amplissimo DN. **HENRICO SIBRANDO**, J. U. D. & Statuum Provincialium Ducatus Mecklenburgici Syndico meritissimo. Matrem vero habuit feminam, virtutibus sexum illum ornantibus condecoratissimam, **CATHARINAM DEUTSCHIAM**. Avum paternum sortita fuit, Virum Præ-nobilissimum, Consultissimum & Excellentissimum, DN. **JOHANNEM SIBRANDUM**, J. U. D. celeberrimum, & Codicis in hac Alma Professorem inlytum, multisque meritis in rem literariam insignem. Aviam vero paternam nacta est omni encomio dignissimam feminam, **ANNAM SCHILLINGIAM**, sobolem unicam Viri Consultissimi, DN. **HERMANNI SCHILLINGII**, Consulis de hac republica longe meritissimi. Avus maternus exstitit Nobilissimus & Spectatissimus DN. **DAVID DEUTSCHIVS**, Amplissimi hujus Civitatis Senatus Secretarius solertissimus: cujus uxor **ANNA** itidem **SCHILLINGIA**, Pastoris in Terris Luneburgicis Dalenburgii ejus nominis filia **Avia Defunctæ materna fuit**. Proavum paternum fuisse perce-

precepimus DN. HENRICUM SIBRANDUM, è primariis hujus empō-
rii Civibus Centum-Virum dexterrimum. Proaviam autem pater-
nam, DOROTHEAM SUCHTINGIAM, feminam laudatissimam.
Proavum demum maternum agnovisse, relatum nobis est, DN. ZA-
CHARIAM DEUTSCHUM, Civem Budissensem integerrimum,
cujus sic Conjugem, CATHARINAM HENZELIAM, BEATA nostra
Proaviam maternam habuit, honestissimam itemqve virtuosissimam
fœminam. Plura vero & antiqviora adhuc addi possent, honoratissima
laudatissimorum majorum nomina, aliaqve recentiora DETHAR-
DINGIORUM, LIEBHERRIORUM, COCHIORUM, CARSTE-
NIORUM, BUCKIORUM, WEISSIORUM, BARNSTORFFIO-
RUM, ELSEWICHIORUM, SIBETHIORUM, & si placet,
KOEPKENIORUM, qvæ SIBRANDIIS implicata fuere, si festinans
hæc referentis calamus & chartæ spacium id permetterent. Fieri au-
tem vix aliter potuit, cum ex hac adeo præclara Familia originem
Defuncta duceret, qvin paternam & avitam virtutem una cum sanguine
sortitur. Etsi enim in multa prole secus accidat, nec in omnibus liberis
istæ dotes deprehendantur, qvibus parentes enituerunt: hæc tamen
Nostra derivatæ in sese virtutis semina omnino inspersa habuit, ut geni-
toribus plane similis esset, eorumq; præstantiam exacte referret. Insignis
vero, imo maxima naturæ bonitati obtigit felicitas, postea, qvam Sa-
cris baptismi aquis, qvod providi parentes mature fieri curarunt,
purgata fuit. Hinc, cum pii parentes eam à teneris magna ad sollicitudi-
ne pietatem instituisent, ita eam colere edocta fuit, ut per omnem vitam
rebus sacris nihil prius haberet, nihil antiqvius. Non opus ergo illi erat
monitore ad frequentandum forte Templum, qvia nullam facile occasio-
nem verbum divinum audiendi prætermittibat, & magno cum desiderio,
inter primos semper, ad augendos sua præsentia sacros cœtus, propera-
bat, in sinu gaudens, si oblati divinis beneficiis animam pascere
posset. Nec tamen publico DEI cultui solum fuit dedita; sed domi
etiam sacra diligentissime tractavit, nullisqve unqvam impedimen-
tis, etsi gravissimis, ab illis meditationibus sese avocari passa fuit. Qva de
causa etiam, si quis forte die Dominica ipsam conveniendi peteret licen-
tiam, nemini aditum facile concessit, ne ab iis, qvibus maxime delecta-
batur, averteretur operibus. Et qvæ DEum probe noverat, magna-
que animi contentione colebat, non poterat non, & erga se, & erga
proximum recte se gerere, & præter pietatem, reliqvis etiam virtuti-
bus laudabilem dare operam. Elegantiori vero earum cultu ita ex-
celluit, ut normæ instar esset, ad cujus vitam aliæ mores suos con-
formaret. Non alia enim in castimonia incorruptior, in alendo corpore
temperantior, in vestitu modestior, in faciendis sumtibus frugalior,
in adversis tolerandis fortior, in juvandis aliis liberalior, in irascendo
moderantior, in sermone veracior, in amicitia colenda firmior, nulla in
conversazione facilior, svavior atq; acceptior. Quo factum, ut omnes eam
amore pariter atqve honore prosequerentur, & nemo non frequens
cum Ipsa commercium ambiret. Cumque, sub fidelissima optimæ matris
disciplina, insigni etiam rei familiaris scientia imbuta esset, magnam
sine dubio solertiam & assiduitatem in variis operis perficiendis adhi-
buit, ut parentibus jam non leve præstaret auxiliū. Nondū illa cogitabat
de nuptiis, qvippe cujus immatura ætas virum ferre adhuc recusabat,
B cum

cum nihilominus proci jam reperiret. Erat enim in B. Parentis
 convictu, Vir Magni ingenii & excellentis doctrinæ Juvenis, GEORGI-
 US RADOVIUS, *Liebenwaldia Borussus, Juris tum Candidatus florentissi-*
mus, insecuto autem tempore, primum Nobilissimorum per Mecklenburgicas
Terras Statuum Syndicus & Consiliarius laboriosissimus atq; dexterrimus, nec longe
post simul in hac Alma Juris Professor Excellentissimus, denique illustris &
Celeberrima Lubecensis Republica Syndicus, & Consiliarius gravissimus, meriti-
mus, nec minus Reverendi ibidem Capituli Præpositus maxime Venerabilis,
 qui cum eminentes succrescentis virgunculæ dotes præfens iustraret,
 & virtutum ejus fulgore non sane leviter percelleretur, honesto ejus
 amore ardentius flagrare cœpit. Eodem igitur anno, quo exantato,
 summa cum laude, examine privato atq;ve publico, quod factum Anno
 MDCXL. viam sibi ad supremos in Jure honores aperiret, nondum tunc
 nubilis eadem illi desponsata fuit. Attamen quadriennio post conjugii
 hoc consummatum demum fuit; id quod Numen supremum mul-
 ticiplici ratione fortunatum esse voluit. Summa erat utriusque Conju-
 gis animorum consensio: &, ut maximo amore, fide, cura, studio
 Maritum Coniugem sibi devinciebat; ita Maritus svaiffiniam hanc suam
 Coniugem omni amoris genere amplectebatur. Nihil hinc molestius
 erat utriusque conjugum, quam, si quando propter negotia publica, quæ
 à marito alibi gerenda essent, ad temporis aliquod spacium disjunge-
 rentur. Itaque, ne alterius absentia utriusque eo majorem incuteret sol-
 licitudinem, in eo facile conspirarunt, ut tandem in longinquis itineri-
 bus à marito forte suscipiendis coniugem perpetuo adesset, quæ laborum &
 itinerum difficultates, comitate, gratia, prudentia, officiorum prompti-
 tudine emolliret. Accidit ita, ut sive *Vindobona, in Augusta Imperiali Aula;*
 sive *Spira, in Casareo Camerali Judicio, sive Riswici, in splendidissimo Pro-*
cerum, pacis ineundæ causa ibi congregatorum, conventu, Lubecensium
Reipublicæ causa à Coniuge peroranda esset, fida semper comes ei
Coniugem adhæsit. Qua occasione multas Germania & Hollandia Civitates
 vidit & contuita est. Ubivis autem locorum insignem sua prudentia, &
 singulari rarissimarum virtutum gratia omnium maximorum, mini-
 morum existimationem & benevolentiam sibi conciliavit. Felicissi-
 mum ut sic erat hocce matrimonium, morte tamen incomparabi-
 lis RADOVII Anno Millesimo sexcentesimo nonagesimo nono, die
 trigesimo Aprilis, summo cum Beatæ dolore interruptum fuit. Inse-
 quente igitur Anno *LUBECA* in patrlam rediit, *ROSTOCHIUM* illi præ-
 ferens, non quia hujus major esset loci commoditas & affluentia, cum
 ibidem nihil ejus frustra requireret, & eximia Celeberrimæ Illius Im-
 perialis Civitatis elegantia, nitore & opibus, ad domicilium ibi continu-
 andum facile induci potuisset; sed quia natale hoc erat solum, ubi mori,
 & in eodem, quo amatissimi mariti ossa deferri curaverat, tumulo
 quiescere decreverat. Etenim *nemo, observante SENECA, Ep. cit. patriam*
quia magna est, amat, sed, quia sua.

Equidem durante matrimonio uterum nunquam gessit, nec
 liberos proprios enixa fuit: non defuere tamen Affinium & Cognato-
 rum liberi, è quibus modo hanc, modo illam in disciplinam suam admi-
 sit, accurataque regundæ familiæ, omniumque eorum, quæ sexui or-
 namento essent, scientia instruxit, ita quidem, ut quas vere materna
 sua educatione dignata fuerat, meliori fortuna uti non possent, cum
 lucidif.


lucidissimum istud virtutis exemplum semper in oculis haberent, & vitam moresque ad ejus normam eo curatius possent instituere. Quanta etiam cura, quantaque sollicitudine in educandis iis, quas in consortium adsciverat, occupata fuerit BEATA nostra, ejus egregium exemplum in lectissima, jam beata Virgine ANNA MARIA WEISSIA, quondam exhibuit perquam Rev. atque Excellentissimus DN. HERMANNUS BECCERUS, *Mathematicum in hac Academia olim Professor Celeberrimus, & Templi Cathedralis Pastor Primarius longe dilectissimus.* Ex quo enim Pater isti filiae suae permisisset, ut cum fratre germano, Prae. Nobilissimo DN. JOHANNE WEISSIO, *Juris Licentiate longe dignissimo, multoq; graviolem quam Secretarii, cujusmodi Lubecae in hodiernum diem dexterrime fungitur, spartam promerito, ad Avunculum DN. RADOVIUM, ejusque carissimam CATHARINAM SIBRANDIAM sese conferret, integrum septennium in virtutum, rerumque illarum indefesso exercitio, quae virgineum praecipue statum exornare atque commendare assolent, consumsisse testatur. Ubi incredibile dictu, sunt verba laudati B. BECCERI in Programmat. quod in funere WEISSIAE Anno MDCLXXIX, d. X. April. propositum fuit, quam illustre ac praclarum ad tam laudabile institutum prosequendum, momentum contulerit RADOVIA UXOR, *Feminarum Nobilissima, inque ornamentum laudemque seculi nata; ceu quae aetate adeo necessitudine Virgini jungeretur. Firmare vel juramenti vicem obtentura fide liceat, ne abs Germana quidem matre, si fors superstitasset, liberalius, sanctius, curiosiusque haberi quovis, quam habitam ab ipsa illa fuisse, verum utique liquidumque est. Sed neque id injuria. Enimvero cum, qui ex semet ipsa nascerentur, haecenus, (nescimus, quo aetate incommodo) liberis destitueretur, nil vel praclarius poterat, vel quod laude majori foret dignum, quam si in WEISSIAM hanc suam omnes favores, amoresque suos, omnem benevolentiam ac humanitatem suam largissima manu conferret, &c.* Quae tamen maternae educationis felicitas cum aliis nonnullis quoque obtigerit, collata in sese a Beata beneficia grata mente agnoscunt, eademque illae sempiterna colent memoria. Sed praeterea etiam magno numero reperti sunt, qui matris nomine Eam compellarent, quod matris loco Gratosissimam hancce *Matronam* aestumarent, & liberorum instar omni erga eam amore ac veneratione invicem certarent; inter quos quidem cum ipse haec scribens filii partes gesserim, nulli unquam observantia & promittitudine cedere studui. Ceterum, ut egregiis animi & fortunae, ita singularibus etiam corporis dotibus a benignitate divina largissime cumulata erat, inque his firma semper & inconcussa gaudebat valetudine, nisi quod per biennium torte vires suas labefactari & langvere primum observavit. Nec tamen adeo gravis agredientis eam morbi initio statim erat impetus, ut spes omnis recuperandae sanitatis adimeretur. Praeter spem tamen ante aliquot hebdomades accidit, ut in fatalem lectum coniecta gravius decumbere & ruinam quae, praesente XVIto hujus mensis die insecuta etiam fuit, minari coeperit. Addemus de agro Defunctae statu, quae *Excellentissimus, Experientissimus & Amplissimus DN. GEORGIUS DETHARDINGIUS, Medicina D. & Prof. Duc. Ordinarius, longe meritisissimus, Dominus Collega, & Fautor meus honoratissimus idemque conjunctissimus, cum accuratissimam corporis Ejus usquegereret curam, in literas eum in finem retulit.* Ita vero ille*


Biennium est, quando Desideratissima Vidua Radoviana sensit labefactari
 animi aequae ac corporis vires, eod, quod ipsa & omnes secum mirabantur, infra-
 Etas. Facile ergo scorbuto fuit sub quiete corporis & animi curis Tyrannidem in
 talem exercere quae per tot annos tela sua, morborumque omnium, riserat.
 Huic se junxerunt asthma siccum, pedum tumor edematosus, parium stillicidia
 cruenta & quae non alia scorbuti famulitia ut illam contererent. Tandem febris
 acuta in lentam abiens quidquid supererat virium corporis adeo consumpsit, ut
 exuvias animae, non tamen invita, deposuerit. Erit ejus Memoria in Benedictione.
 Cum vitae finem propius imminere depræhenderet, nihil nisi divina &
 immarcescibilem illam, quam tota vita assequi elaborasset, cœli coronam
 meditari & sermonibus usurpare voluit: ejusque ut inconcussam & cer-
 tissimam spem ad extremum usque semper haberet, Dei gratiam solen-
 pietate sibi confirmare neutiqvam intermisit. Etenim non longe abhinc,
 instituto ante sincero vitae ante actæ examine, conscientiae intimos
 recessus, seria peccatorum confessione explicavit. Quo facto à Viro
 Maxime Rever. atque Excellentissimo DN. PETRO BECCERO, Matthes. Profess.
 Publ. Ord. Celebratissimo, & ad Eadem St. Jacobi Archi-Diacono religiosissimo,
 Dno. Collega & Fautore meo multo astumatissimo, velut animæ suæ Curatore
 fidelissimo, gratiosissimam peccatorum, quæ virtutibus ejus in hac im-
 perfectione innexa fuerant, veniam impetravit, simulque exoptatissimi
 illius æternæ vitæ pignoris particeps facta fuit, tranquillo hinc pectore,
 & summa cum patientia, inter continuas preces, totam se omni ex parte
 divinæ committens voluntati. Langventem jam, lecto tamen nondum
 affixam, pro amore, quo eam semper prolecuti fuere, visum, perop-
 portune Lubeca advenerant, idem ille, cujus supra jam meminimus, Dn.
 Licentiatu WEISSIUS, ejusque amatissima Conjux, Dna SARA, nata
 BREMERIA, virtutibus sane, quæ mulierem exornant, mirum in mo-
 dum condecorata. Sæpius ergo imbecillem RADOVIAM sibi gratulatam
 fuisse cognovimus, quod singulari dilectissimæ SARÆ suæ indelastabili
 cura, sollicitudine, vigiliis, amoribus, officiis gauderet. Cumque
 Eam in ultima vitæ hora sibi præsto esse, anxie etiam voluisset, mori-
 bundæ lecto Illa sine intermissione adhæsit, usque dum inter flagran-
 tissimas Ejus, aliarumque forte præsentium Cognatarum preces ani-
 mam placidissime exhalaret. Quæ quidem propositam sibi & quæsi-
 tam per omnem ætatem coronam jam jam obtinuit, & coram ineffabili
 DEI throno inter electos cœlites gaudiis nullo unquam tempore interci-
 piendis perfruitur. Ut igitur demortuum Corpus sepulchro suo decenter
 etiam inferatur, pietas deposcit. Quia vero ad peragendū hocce negociū
 præsens dies constitutus fuit, nostrum erit, CIVIS ACADEMIAE HONO-
 RATISSIMI, deducenda ad sepulchrum Beatæ ossa frequentissimo con-
 fluxu comitari. Non monebo Vos multis. Prompta sine dubio mente su-
 premū hoc humanitatis officium RADOVIAE dabit, quippe quam Vi-
 ventem observantissime coluistis. Dabit id illustribus Magni RADOVII,
 cujus Vidua exstitit, meritis, & universæ Splendidæ SIBRANDIANÆ
 Familiae. Dabit quoque eam Operam Omnibus iis, qui Beatam dum vi-
 veret, Matris nomine venerati sunt. Denique id Vestrae etiam dabit salutem,
 ut data hac illustri occasione ipsimet nos ad beatum ex caduca hac
 fragilitate secessum nos præparemus. Valet omnes.

Dab. Rostoch. Anno MDCCXX. die XXX. Julii.

Sub Sigillo UNIVERSITATIS.


Conventus erit in Aede Cathedrali Jacobæa, hora Ima jam audita.





33
LBMV Schwerin
000.188 018





DN. HENRICUM SIBRANDUM, è primariis hujus empō
 Centum-Virum dexterrimum. Proaviam autem pater-
 ROTHEAM SUCHTINGIAM, feminam laudatissimam,
 emum maternum agnovisse, relatum nobis est, DN. ZA-
 DEUTSCHUM, Civem Budissensem integerrimum,
 conjugem, CATHARINAM HENZELIAM, BEATA nostra
 maternam habuit, honestissimam itemque virtuosissimam
 Plura verò & antiquiora adhuc addi possent, honoratissima
 orum majorum nomina, aliaque recentiora DETHAR-
 UM, LIEBHERRIORUM, COCHIORUM, CARSTE-
 , BUCKIORUM, WEISSIORUM, BARNSTORFFIO-
 LSEWICHIORUM, SIBETHIORUM, & si placet,
 NIORUM, quæ SIBRANDIIS implicata fuere, si festinans
 ntis calamus & chartæ spacium id permetterent. Fieri au-
 ter potuit, cum ex hac adeo præclara Familia originem
 uceret, quin paternam & avitam virtutem una cum sanguine
 multa prole secus accidat, nec in omnibus liberis
 tur, quibus parentes enituerunt: hæc tamen
 virtutis semina omnino insperfa habuit, ut geni-
 let, eorumque præstantiam exacte referret. Insignis
 uræ bonitati obtigit felicitas, postea, quam Sa-
 quod providi parentes mature fieri curarunt,
 n pii parentes eam à teneris magna ad sollicitudi-
 nt, ita eam colere edocta fuit, ut per omnem vitam
 haberet, nihil antiquius. Non opus ergo illi erat
 ndum forte Templum, quia nullam facile occasio-
 audiendi prætermittebat, & magno cum desiderio,
 d augendos sua præsentia sacros cœtus, propera-
 , si oblatis divinis beneficiis animam pascere
 blico DEI cultui solum fuit dedita; sed domi-
 ime tractavit, nullisque unquam impedimen-
 illis meditationibus sese avocari passa fuit. Qua de
 e die Dominica ipsam conveniendi peteret licen-
 acile concessit, ne ab iis, quibus maxime delecta-
 ribus. Et quæ DEum probe noverat, magna
 colebat, non poterat non, & erga se, & erga
 vere, & præter pietatem, reliquis etiam virtuti-
 operam. Elegantiori vero earum cultu ita ex-
 ar esset, ad cujus vitam aliæ mores suos con-
 m in castimonia incorruptior, in alendo corpore
 itu modestior, in faciendis sumtibus frugalior,
 ortior, in juvandis aliis liberalior, in irascendo
 ne veracior, in amicitia colenda firmior, nulla in
 vavior atque acceptior. Quo factum, ut omnes eam
 onore prosequerentur, & nemo non frequens
 ambiret. Cumque, sub fidelissima optimæ matris
 rei familiaris scientia imbuta esset, magnam
 assiduitatem in variis operis perficiendis adhi-
 non leve præstaret auxiliū. Nondū illa cogitabat
 us immatura ætas virum ferre adhuc recusabat,
 B cum

